

GERARDVS EPISCOPVS HILDESHEIMENSIS.



Erardus ex nobili familia à Berck natus, atque à teneris annis literis addicatus fuit. Vnde doctrina & pietate præstantissimis viris suo tempore equalis extitit. Is primò Decanus Hildesheimensis, postea præsul Verdensis electus est. Cum autem eam functionem dextrè administraret, atque interim Hildesheimensis Ecclesia suo pastore destitueretur, eius loci Episcopus constitutus fuit. Erat autem is non tantum eruditione & pietate, uerum etiam insigni animi & corporis fortitudine præditus. Itaque primò nobiles per suam diocesis rapinas exercentes coercuit, atque ad meliorem frugem reduxit. Postea cum Magno duce

Brunswicensium bellum suscepit, qui Hildesheimenses aliquandiu affligerat, atque hostiliter eorum terras populatus erat. Cum autem ipse aliquando in conflitu præsens esset, atque sui milites hostium multitudine terrorentur, ipsos sua facundia animauit, atque sinum ostendens, in quo sanctorum reliquias secum deferebat, dixit, se hinc mille fortissimos viros secum deferre.